



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia VI. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram
juxta animalia, habens quatuor facies. Et aspectus rotarum, & opus earum
quasi visio maris: & una similitudo ipsarum quatuor: & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

dicitur: *Memoriam suavitatis tuæ eruit abunt.* Dulcedinem quippe suavitatis intimæ, quia utcumque possunt, velut quodam ex corusco, prægustando tangere, ejus memoriam student recolendo semper & loquendo eructare. Unde & apertè nos Pfalmista admonet, dicens: *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Letamini iusti in Domino, & confitemini memoria sanctitatis ejus.* Qui rursum ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!* Quæ videlicet quàm magna esset, nullo modo cognosceret, nisi hanc aliquatenus contemplando gustasset. Hinc iterum dicit: *Ego dixi in ecclasiis meis, projectus sum à vultu oculorum tuorum.* Nisi enim in mentis excessu sublevatus, dulcedinem suavitatis æternæ cognovisset, in hoc adhuc mundo retentus non discerneret quàm longè projectus jaceret. Ostensa ergo animalia vadunt & non revertuntur, atque vadunt & redeunt; quia sancti viri & ab activa vita quam apprehenderunt, ad iniquitates non recurunt; & à contemplativa quam tenere jugiter non possunt, in activam relabuntur. Sicut enim dictum est, ipso infirmitatis suæ pondere devicti, ad semetipsos repulsi redeunt, ut euntes discant quid desiderent, & revertentes, ubi jaceant, sciant. Euntes intelligant ubi nondum sint, revertentes quid sint. Sed qualiter hæc sancta animalia redeant, demonstratur cùm subditur: *[In similitudinem fulguris coruscantis.]* Bene autem reverentia animalia coruscanti fulguri comparantur; quia sancti viri cùm ad superna contemplanda evolant, cùm primitias sui spiritus in cælestis patriæ amore ligant, sed gravati humanæ conversationis pondere ad semetipsos redeunt; bona cælestia quæ saltem per speculum contemplari poterunt, fratribus denunciant, eorumque animos in amorem intimæ claritatis accendunt, quam nec videre sicut est, nec loqui prævalent sicut viderunt. Loquentes autem verbis suis corda audientium feriunt & incendunt. Quasi ergo fulgur coruscans redeunt, qui cùm cælestia loquuntur, quia per eos supernum lumen intermicat, ad amorem cælestis patriæ mentes audientium inflammant. More itaque coruscantis fulguris cùm loquendo percutiunt, igne spiritualis desiderij spargunt. Alio quoque modo sancta animalia vadunt & redeunt. Vadunt enim cùm ad insinuandam cælestis doni gratiam, in prædicationem mittuntur, atque ut ad fidem trahant, miram coram infidelibus faciunt: sed redeunt, quia hæc omnipotentis Domini virtuti tribuentes, sibimetipsis quæ fecerint, non adscribunt. Cùm enim stupenda faciunt, fulgur sunt: quia corda intuentium concutiunt, terrent, illuminant, & accendunt. Unde scriptum est: *In lumine jacula tua ibunt, in splendore fulguris armorum tuorum.* Jacula Domini sunt verba sanctorum, quæ corda peccantium feriunt. Sed ista jacula habent arma. Scitis fratres, quia præliatores viri jacula mittunt, armis verò muniuntur. Dum ergo verbis addunt miracula, quasi armis se muniunt, ne ipsi feriantur. *In lumine jacula tua ibunt,* quia in aperto exeunt verba Dei. Sed quia comitari debent sententias doctorum, facta miraculorum, rectè subjungitur: *In splendore fulguris armorum tuorum:* quia dum addunt eis arma miraculorum, mentes persequentium fulgurant, ut eos persequi non præsumant. Hæc itaque animalia vadunt & revertuntur in similitudinem fulguris coruscantis: quia postquam mira sancti inter homines faciunt, postquam corda audientium sparso lumine incendunt, ad dandam auctori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant per quem se posse talia sciunt. Sic Petrus, quum sanato homine qui claudus ex utero matris fuerat, signum fecit quod omnes qui cognoscerent, valde mirarentur, dixit: *Quid miramini in hoc, aut nos quid invenimini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus pa-*

A *trum nostrorum glorificavit filium suum Iesum.* Et paulò post: *In facie nominis ejus hunc quem videtis & nobis, confirmavit nomen ejus.* Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit; sed humilitatem custodiens, & laudem auctori reddens, quasi unde venerat rediit, quia lux fulguris unde fuerit ostendit. Sancta itaque animalia cùm ad signa operanda veniunt, & cùm ad reddendam auctori suo gloriam intus apud semetipsa redeunt, fulgur sunt: quia & ostendendo miracula, & exempla humilitatis præbendo, mentes intuentium feriunt & incendunt. In omne autem quod faciunt, idcirco semper ad laudem creatoris redeunt, ut in ea virtute quam accipiunt, vera stabilitate persistant. Nam si quid sibi tribuerent, in hoc quod acceptant, stare non possent. Unde bene etiam per Salomonem dicitur: *Ad locum, de quo exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Sive enim in virtutibus, seu in doctrina, quid aliud sunt sancti viri, quàm flumina, quæ terram cordis carnalium aridam rigant? Sed sive in operatione quam faciunt, seu in doctrinæ verbis, citius siccaerent, nisi per intentionem cordis semper sollicitè ad locum, de quo exeunt, redirent. Si enim introitus ad cor non redeant, ac sese in amore conditoris desideriorum vinculis non adstringant, & manus ab eo quod agebat deficit, & lingua ab eo quod loquebatur, arefcit. Sed intus semper per amorem redeunt, & hoc quod in publico operantes atque loquentes fundunt, in secreto suo de fonte amoris hauriunt. Amando enim discunt, quod docendo profertur. Ad locum ergo, de quo exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant: quia aqua sapientiæ inde semper hauritur unde oritur, ne cùm cucurrerit, exsiccet. Per omne ergo quod agimus, ad fontem veri luminis sollicitè mente redeamus. Reddamus creatori nostro gratias de bonis quæ accepimus, eique cum Isaia propheta suppliciter dicamus: *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Bona enim nostra, ejus sunt opera, cujus visceribus non sufficit ut nos erigeret, nisi & semetipsum pro nobis inclinaret. Si enim coæternus Patri Deus ante sæcula non fieret homo in tempore, quando homo temporalis saperet æterna? Descensio ergo veritatis, ascensio facta est humanitatis nostræ. Demus ei gloriam, demus laudem, qui vivit cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

Cumque assicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies. Et aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris: & una similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum & opera, quasi si sit rota in medio rota. Per quatuor partes earum euntes ibant, & non revertebantur cum ambularent. Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus.

Tenebrosa aqua in nubibus aeris: quia obscura est scientia in prophetis. Sed Salomonis voce attestante didicimus: *Gloria regum, calare verbum: & gloria Dei est investigare sermonem: quia & honor est hominum, eorum secreta abscondere, & gloria Dei est, mysteria sermonis ejus aperire.* Ipsa autem per se Veritas discipulis dicit: *Qua dico vobis in tenebris, dicite in lumine;* id est, apertè exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnæ verò utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum ut fatigatione dilaretur, & exercitatus capiat, quod capere non posset otiosus.

* al. corrunt.

Habac. 3. b

ad. 3.

* al. pictate.

cc.

otiosus. Habet quoque adhuc aliud majus, quia scripturæ sacræ intelligentia, quæ si in cunctis esset aperta, vilesceret, in quibusdam locis obcurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animum quaesita. Ecce enim sancti Ezechielis nunc voce dicitur: *[Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.]* Quid autem rota, nisi sacram scripturam signat, quæ ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, & nullo erroris angulo prædicationis suæ via retinetur? Ex omni autem parte volvitur, quia inter adversa & prospera, & rectè & humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum illius modò sursum, modò deorsum est, quia ipsa quæ perfectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt: & ipsa quæ parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam in altum ducunt. Quis namque parvulorum in factò Esaü & Jacob, quòd alter ad venatum mittitur ut benedicatur, alter verò per suppositionem matris à patre benedicatur, nisi juxta sacræ lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia si ad intellectum paulò subtilius adstringatur, videtur quia Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem subripuit, sed ut sibi debitam accepit, quam concedente fratre, data lentis mercede emerat. At verò si quis altius sentiens, utrorumque facta velit per allegoriæ arcana discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est enim quòd Isaac de majoris filij sui venatione vesci concupiscit, nisi quòd omnipotens Deus Judaici populi bona operatione pasci desiderabat? Sed illo tardante, minorem Rebecca supposuit: quia dum Judaicus populus bona opera foris quaerit, Gentilem populum mater gratia instruit, ut omnipotenti patri cibum boni operis offerret, benedictionemque majoris fratris acciperet. Qui eisdem cibos ex domesticis animalibus præbuit: quia Gentilis populus placere Deo de exterioribus sacrificiis non quaerens, per vocem Prophetæ dicit: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.* Quid est, quòd idem Jacob manus ac brachia & collum hædinis pellibus texit, nisi quòd hædus pro peccato offerri consuevit? Et Gentilis populus, carnis quidem in se peccata maculavit, sed coopertum se peccatis carnalibus confiteri non erubuit. Quid est, quòd vestimentis fratris majoris induitur, nisi quòd sacræ scripturæ præceptis quæ majori populo data fuerant, in bona operatione vestitus est? Et eis minor in domo utitur, quæ major foras exiens intus reliquit: quia illa Gentilis populus præcepta tenet in mente, quæ Judaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit. Et quid est quòd Isaac eundem filium nescit quem benedicit, nisi hoc quòd de Gentili populo Dominus per Psalmistam dixit: *Populus quem non cognovi, servavit mihi, ob auditum auris obedivit mihi?* Quid est, quòd præsentem non videt, & tamen quæ ei in futuro venient, vidit; nisi quòd omnipotens Deus, cum per prophetas suos prædiceret Gentilitati gratiam prærogandam, eam & in præsentem per gratiam non vidit, quia tunc in errore dereliquit; & tamen quia hanc quandoque collecturus erat, per benedictionis gratiam prævidit? Unde & eidem Jacob Gentilis populi figuram tenenti, in benedictione dicitur: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Deus.* Sicut enim in Evangelio Veritas dicit, *ager est hic mundus:* & quia Gentilis populus ad fidem perductus, per electos suos in universo mundo virtutibus redolet, odor filij, odor est agri pleni. Aliter namque olet flos uvæ, quia magna est virtus & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium: aliter flos olive, quia suave est opus misericordie, quod more olei refocet & lucret: aliter flos rose, quia mira est fragrantia quæ rutilat & redolet ex cruore Martyrum: aliter flos

A lilij, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis: aliter flos violæ, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem à terra in altum non sublevent, & celestis regni purpuram in mente servant. Aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad fatietatem eorum qui justitiam esuriunt, præparatur. Quia ergo Gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, & ex eis virtutibus quas agit, omnes qui intelligunt, odore bonæ opinionis replet, dicatur rectè: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Sed quia easdem virtutes ex semetipso non habet, adjungat: *Cui benedixit Dominus Deus.* Et quoniam idem electorum populus per quosdam etiam in contemplationem surgit, per quosdam verò in activæ vitæ solummodo opera pinguescit, rectè illic additur: *Det tibi Deus de rore cali, & de pinguedine terræ.* Ros enim desuper & subtiliter cadit. Et toties de rore cæli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimæ de supernis aliquid tenuiter videmus. Cum verò bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. Quid est autem, quòd Esaü tardè ad patrem redit, nisi quòd Judaicus populus ad placandum Dominum serò revertetur? Cui & hoc in benedictione dicitur: *Tempusque erit cum solvatur jugum de collo tuo.* Quia à servitute peccati Judaicus populus in fine liberabitur, sicut scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israel salvus fiet.* Quem non parvulorum ipsa Evangelica historia in miraculi operatione reficiat, quòd hydrias vacuas Dominus aquâ impleri præcepit, eandemque aquam protinus in vinum vertit? Sed cum hæc vigilantiores ingenio audiunt, & sacræ historiæ credendo venerantur, & quid interius innuat requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed implere hydrias aquâ jubet, quia prius per sacræ lectionis historiæ corda nostra replenda sunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriæ mysteriū in spiritalem nobis intelligentiâ commutatur. Rota ergo quasi per terram trahitur; quia parvulis humili sermone concordat, & tamè magnis spiritalia infundens, quasi circulū in altum levat: & inde sursum erigitur, unde terram tangere paulò antè videbatur. Quia verò undique ædificat, quasi per circulū rota currit. Unde & in lege scriptum est: *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo, hastilo ejus & calamos & scyphos & sphaerulas ac lilia ex ipso procedentia.* Quis in candelabro, nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humanitatis infuit, lumen divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator in quibus jaceret tenebris videret. Qui pro eo quòd naturam stram sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi ex auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producit, quia & Redemptor noster qui ex conceptione & nativitate perfectus Deus & homo extitit, passionum ictus pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit; quia & peccatum non habuit, & tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta virtutes animæ quòd percussionebus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quæ nos tundimur & afficimur ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit. De ejus autem corpore scriptum est: *Ex quo totum corpus per nexum & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* Corpus quippe illius nos omnes sumus. Per nexum verò & conjunctiones corpus ligatur; quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt

E E e

Genes. 27.
Pas. in Gen.
c. 59.

Psal. 35.

Psal. 17.

Gen. 27. e
Luc. 17. c
Matt. 13. fExod. 25.
Pas. in
Exod. c. 37.

*al. lumine

*al. dolores

Coloss. 2. d

conjuncti, ac membra cetera membris inhaerent, corpus omne perficitur, sicut sancti Apostoli, quia Redemptori nostro propinqui steterunt, quasi pectus capiti adhaerit. Quos quia Martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores & doctores subjuncti sunt per bona opera, manus brachiis inhaerent. Hoc verò omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus & conjunctiones subministratum est in caelo: quia cum ad eum illuc electae animae ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo bene dicitur: *Subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*: quia Deus omnipotens redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursus scriptum est: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Hastile verò ejusdem candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quae corpus ejus est, quia inter tot adversa libera stat. Calami autem qui de hastili procedunt, praedicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. Quid ergo ora doctorum, nisi scyphi sunt, qui vino scientiae ebriant, ut oblectamenta mundi quae amavimus, obliviscamur? Sphaerula autem quid est aliud, nisi volubilitas praedicationis? Sphaera enim ex omni parte voluitur. Et praedicationis, quae nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur, sphaera est: quia est & inter adversa fortis, & inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet; quia per cuncta se volubilitate trahit. Ut autem hoc, quod exempli causa protulimus, exequamur, bene post calamos, scyphos & sphaerulas, in candelabro lilia describuntur: quia post eam quam diximus, praedicationis gratiam atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quae animabus sanctis, id est, floribus vernat aeternis. Sphaerulae ergo ad laborem pertinent, lilia ad retributionem. Itaque sicut apud Moysen sphaerula, doctrina praedicationis accipitur: ita hic per rotam ipsa sacra scriptura signatur. Propheta igitur dum sancta animalia videret, adjunxit: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram*. Qua in re querendum est, cum inferius rotae describuntur, cur una rota prius apparuisse dicitur, nisi quia antiquo populo vetus solummodo Testamentum datum est, quod ad erudiendam mentem illius quasi rota volueretur? Bene autem rota eadem super terram apparuisse dicitur. Peccanti enim homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis*. Rota ergo super terram apparuit: quia Deus omnipotens legem super corda peccantium dedit. Sed quia haec pennata animalia sanctos, ut ante diximus, Evangelistas designant, quo modo prius animalia, & postmodum rota una aspiciuntur, cum ante Testamentum vetus fuerit, & postmodum sancti Evangelistae secuti sunt? Sed intelligere in his possumus, quod illi prius a Propheta visi sunt, qui merito transcendunt. Nam quantum sanctum Evangelium Testamentum vetus praecellit, tantum & praedicatores ejus in descriptione prophetica proferri debuerunt. Quamvis sit adhuc aliud, quod in hac descriptione considerari debeat: quia prophetiae spiritus sic intra semetipsum anteriora & posteriora simul colligit, ut haec simul Prophetae lingua proferre non possit. Sed ampla quae videt, de praeteritis sermonibus emanat, & nunc ultima post prima, nunc vero prima post ultima loquitur. Unde Ezechiel propheta sub figura sanctae universalis Ecclesiae, & Evangelistarum gloriam per quatuor animalium similitudinem videt, & tamen repente illa subjungit, quae anterioribus temporibus gesta sunt; ut patenter indicet simul se vidisse, quod carnis lingua non sufficeret simul dicere. Quia vero per quatuor animalia etiam perfectos omnes significari diximus, con-

A siderandum quoque est, quosdam sanctorum & ante legem fuisse, qui naturali lege districtè viverent, & omnipotenti Domino placerent. Post animalia ergo rota describitur; quia electorum multi apud omnipotentem Dominum perfecti & ante legem fuerunt. Sin vero animalia solos, ut diximus, Evangelistas debemus accipere, est adhuc aliud quod considerare debeamus. Videbat enim * in spiritu Propheta, quia haec ipsa verba, quae obscuritatis obvolvata proferebat, non Judaico populo, sed Gentibus panderentur. Nobis igitur loquens, prius animalia, & post rotam describere debuit: quia nos ad fidem Domino largiente venientes, non per legem Evangelium, sed per sanctum Evangelium legem didicimus. Ubi verò, vel qualis rota apparuerit, adjungit cum dicit: *[Luxia animalia habens quatuor facies]*. Ubi adhuc subditur: *[Et aspectus rotarum & opus earum quasi visio maris: & una similitudo ipsarum quatuor, & aspectus earum & opera, quasi si sit rota in medio rotae]*. Quid est hoc, quod cum una rota diceretur, paulò post adjungitur, *[Quasi si sit rota in medio rotae]*, nisi quod in Testamenti veteris littera Testamentum novum latuit per allegoriam? Unde & rota eadem, quae juxta animalia apparuit, quatuor facies habere describitur; quia scriptura facta per utraque Testamenta in quatuor partibus est distincta. Vetus etenim Testamentum in Lege & Prophetis, novum vero in Evangelii atque Apostolorum actibus & dictis. Scimus autem quia ubi faciem intendimus, ibi quod necesse est videmus. Rota ergo quatuor habet facies: quia prius refecanda mala in populis vidit per Legem, postmodum vidit per Prophetas, subtilius vero per Evangelium, ad extremum autem per Apostolos ea quae in culpis hominum refecerantur, aperxit. Potest quoque intelligi, quod quatuor facies rota habeat, propter hoc quod scriptura sacra per gratiam praedicationis extensa in quatuor mundi partes innotuit. Unde & bene rota eadem una prius juxta animalia apparuisse, & postmodum quatuor facies habuisse describitur: quia nisi Lex Evangelio concordaret, in quatuor mundi partibus non innotesceret. Sequitur: *[Et aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris]*. Rectè sacra eloquia visioni maris similia narrantur, quia in eis magna sunt volumina sententiarum, & cumuli sensuum. Nec immerito mari similibus scriptura sacra dicitur; quia firmantur in ea sententiae locutionis, sacramento baptismatis. Vel certè considerandum est, quia navibus in mare navigamus, cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio, nisi illa terra de qua scriptum est: *Portio mea in terra viventium*? Ligna autem, ut dixit, vehitur quae mare transiit. Et scimus, quia sacra scriptura lignum crucis per legem nobis praenunciat, cum dicit: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Quod de Redemptore nostro Paulus attestatur, dicens: *Factus pro nobis maledictum*. Per Prophetas quoque lignum annunciat, cum dicitur: *Dominus regnabit à ligno*. Et rursus: *Miriamus lignum in panem ejus*. Per Evangelium verò lignum crucis aperte ostenditur, ubi ipsa Domini passio, quae prophetata est, declaratur. Per Apostolos autè haec eadem crux etiam in verbis & operibus tenetur, cum Paulus dicit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Et rursus: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Nobis ergo qui ad aeternam patriam tendimus, scriptura sacra per quatuor suas facies mare est. Quae crucem annunciat, quia nos ad terram viventium ligno portat. Nisi autem mari scripturam sacram similem cerneret Propheta, minimè dixisset: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris orientis*. Sequitur: *[Et una similitudo ipsarum quatuor, & aspectus earum & opera, quasi si sit rota in medio rotae]*. Una similitudo ipsarum est quatuor,

Ibid.

Ephes. 4. b

* al. mētes
auditorū,
nisi scyphi
sunt, quae à
sanctis
praedicatoribus
vino scientiae re-
plentur.
Sphaerula.

Gen. 3. a

* sanctus
Propheta.

Psal. 147.

Deut. 21. d

Galat. 3. b

Psal. 95.

Hier. 11. d

Galat. 6. d

Ibid.

Psal. 11. b

quia quod prædicat: lex, hoc etiam Prophetæ quod denunciant Prophetæ; hoc exhibet Evangelium: quod exhibuit Evangelium, hoc prædicaverunt Apostoli per mundum. Una ergo est similitudo ipsarum quatuor; quia divina eloquia est temporibus distincta, sunt tamen sensibus unita. [*Et aspectus earum & opera. quasi sibi rota in medio rota.*] Rota intra rotam est Testamentum novum, sicut diximus, intra Testamentum vetus: quia quod designavit Testamentum vetus, hoc Testamentum novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar, quid est quod Adam dormiente Eva producitur, nisi quod moriente Christo Ecclesia formatur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur, & ligna portat, aræ superimponitur & vivit, nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit? Et sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate. Quid est, quod homicida post mortem summi Pontificis absolutus, ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus quod peccando sibi metipsum mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri, peccatorum suorum vinculis solvitur, & in paradisi possessione reparatur? Quid est, quod in tabernaculo propitiatorium fieri iubetur, super quod duo Cherubim, unum à summitate una, & alterum à summitate alia, ex auro mundissimo ponuntur expandentes alas, & operientes oraculum? Quid est, quod se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium, nisi quod utraque Testamenta ita sibi in mediatorem Dei & hominum concordant, ut quod unum designat, hoc alterum exhibeat? Quid enim per propitiatorium, nisi ipse Redemptor humani generis designat? De quo per Paulum dicitur: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Quid verò per duo Cherubim, quæ plenitudo scientiæ dicuntur, nisi utraque Testamenta signata sunt? Ex quibus unum à summitate una propitiarii, aliud verò à summitate altera stat: quia quod Testamentum vetus de incarnatione nostri Redemptoris cæpit prophetando promittere, hoc Testamentum novum perfectè narrat expletum. Duo autem Cherubim ex auro mundissimo facta sunt; quia utraque Testamenta, pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt verò alas, & oraculum operiunt; quia nos qui omnipotentis Dei oraculum sumus, à culpis imminetibus, scripturæ sacræ edificatione protegimur. Cujus dum sententias sollicitè aspiciamus, ab errore ignorantie, ejus alis velamur. Duo ergo Cherubim in se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium; quia utraque Testamenta in nullo à se discrepant. Et quasi ad semetipsa vicissim facies tenent; quia quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter se positum mediatorem Dei & hominum vident. Facies quippe à semetipsis Cherubim averterent, si quod unum Testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de mediatore Dei & hominum loquuntur, ut vicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. Rota ergo in medio rotæ est; quia sicut sæpe jam diximus, quod Testamentum vetus promittit, hoc novum exhibuit: & quod illud occultè annunciat, hoc istud exhibitum apertè clamat. Prophetia ergo Testamenti novi, Testamentum vetus est; & expositio Testamenti veteris, Testamentum novum. Sequitur: [*Per quatuor partes earum ibant, & non revertebantur.*] Quid alibi divina eloquia, nisi ad corda hominum vadunt? Sed per quatuor partes euntes ibant; quia scriptura sacra per Legem ad corda hominum vadit, signando mysterium. Per Prophetas vadit paulò apertius, prophetando Dominum. Per Evangelium vadit, exhibendo quem Prophetavit. Per Apostolos vadit, prædicando eum quem Pater in nostram redemptionem exhibuit. Habent ergo rotæ facies &

S. Greg. Tom. I.

vias; quia ostendunt sacra eloquia notitiam præceptorum cum exhibitione operum. Et per quatuor partes vadunt; quia distinctis, ut prædicimus, temporibus loquuntur: vel certè quia in cunctis mundi regionibus incarnatum Dominum prædicant. De quibus apertè mox subditur: [*Et non revertebantur, cum ambularent.*] Hæc superius de animalibus dicta sunt, sed non eadem intelligi de rotis, quæ de animalibus, possunt. Rotis quippe signari Testamenta diximus. Et Testamentum vetus ambulavit quidem; quia per prædicationem ad mentes hominum venit: sed post semetipsum reversum est, quia juxta litteram, in præceptis suis & sacrificiis usque ad finem fervari non potuit. Non enim sine immutatione permansit, cum in eo spiritalis intelligentia defuit. Sed cum Redemptor noster in mundum venit, hoc spiritaliter fecit intelligi, quod carnaliter invenit teneri. Itaque dum spiritaliter littera ejus intelligitur, omnis in eo illa carnalis exhibitio vivificatur. Testamentum verò novum etiam per Testamenti veteris paginas testamentum æternum appellatum est; quia intellectus illius numquam mutatur. Bene ergo dicitur, quod rotæ euntes ibant, & non revertebantur cum ambularent; quia novum Testamentum non rescinditur, dum vetus jam spiritaliter intelligitur. Post se non redeunt; quia usque ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant ergo, sed non revertuntur; quia sic spiritaliter ad cor nostrum veniunt, ut eorum præcepta vel studia ulterius non mutentur. Sequitur: [*Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus.*] Quid est, quod in scripturæ sacræ eloquiis tria hæc inesse narrantur, ut staturam, altitudinem, & horribilem aspectum, id est, terribilem habere memorentur? Quærendum nobis magno opere est, quæ divina scripturæ statura, quæ altitudo, quis horribilis aspectus dicitur. Sciendum ergo est, quia stare, ad vitam congruit bene operantis. Unde per Paulum dicitur: *Qui stat, videat ne cadat.* Qui etiam discipulis dicit: *Sic stete in Domino, charissimi.* *philipp. 4.* Et Prophetæ, qui se vita ac moribus ante Dominum stare videbat, ait: *Vixit Dominus, in cuius conspectu* *4. Reg. 3.* *sto.* Altitudo verò est, cælestis regni promissio. Ad quam tunc pertingitur, quando jam mortalis vitæ omnis corruptio subjugatur. Horribilis verò aspectus, est terror gehennæ, quæ sine fine reprobos cruciat, & semper in cruciatu conservat. Statura ergo in rectitudine prædicationis est: altitudo in celsitudine supernæ promissionis: horribilis verò aspectus in minis atque terroribus supplicij sequentis. Scriptura igitur sacra staturam habet; quia mores ad standum dirigit, ut auditorum mentes ad terrenam concupiscentiam non curventur. Altitudinem habet; quia in cælesti patria æternæ vitæ gaudia promittit. Horribilem quoque aspectum habet; quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur. Ostendit igitur staturam suam in edificatione morum: ostendit altitudinem in promissione præmiorum: ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in præceptis, alta in promissionibus, horribilis in minis. Habet staturam, cum per Prophetam, dicit: *Qui scite agere perverse, discite benefacere, quarite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Et rursum: *Frangite esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum: & domesticos seminis tui ne despexeris.* Habet altitudinem, cum per eundem Prophetam dicit: *Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem nec splendor lune illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Habet horribilem aspectum, cum infernum describens, dicit: *Dies ultionis Domini, annus retributionis iudicii Sion: & convertentur torrentes ejus in picem, & fumus ejus in sulphur: & erit*

EEe ij

terra eius in pice ardentem: nocte & die non extinguetur in sempiternum. Quam beatus quoque Job describit, dicens: Terram tenebrosam & opertam moris caligine, terram miserie & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Habet staturam, cum per eam Dominus propitius pollicetur, dicens: Sicut cali novi & terra nova, que ego stare facio coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. Illi enim veraciter coram Domino stant, qui vitam suam in pravitate non dissipant. Habet altitudinem, cum statim subdit: Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & venit omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Quid est mensis, nisi perfectio dierum? Et quid est sabbatum, nisi requies, in qua fieri opus servile non liceat? Mensis ergo ex mense est; quia qui hic perfecte vivunt, illuc ad perfectionem glorie perducuntur. Sabbatum vero ex sabbato est, quia qui hic cessant a perverso opere, illic quiescunt in celesti retributione. Habet etiam horribilem aspectum, cum protinus adjungit: Et egredientur & videbunt cadavera virorum, qui pravaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum nunquam finire? De hoc horribili aspectu rotarum bene per Sophoniam dicitur, cum supervenire duris mentibus dies iudicij denuntiatur: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies ira dies illa, dies inbulationis & angustie, dies calamitatis & miserie, dies tenebrarum & caliginis, dies nebula & turbis, dies rubra & clangoris. Sed quia exterioris rotæ dicta posuimus, restat nunc ut interioris quoque staturam, altitudinem, & horribilem aspectum profere debeamus. Habet quippe rota interior staturam suam, cum per sanctum Evangelium ad terrena desideria incurvare nos prohibet, Redemptoris nostri vocibus dicens: Attendite ut non graventur corda vestra in crapula & ebrietate, aut in curis hujus vite. Habet altitudinem, cum de eodem Redemptore promittit, dicens: Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid enim hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur filius creatoris? Habet horribilem aspectum, cum de reprobis loquitur, dicens: Ibunt hi in supplicium æternum. Habet staturam, cum Veritas discipulos admonet, dicens: Vendite qua possidetis, & date elemosinam. Facite vobis sacculos non veterascentes. Habet promissionis altitudinem, cum dicit: Veniens ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno calorum. Habet horribilem aspectum, cum subdit: Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Quibus rursus voce Veritatis dicitur: Vos in peccatis vestris moriemini. Habet staturam, cum primi pastoris vocibus dicit: Ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Habet altitudinem, cum pauld post dicit: Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & salvatoris nostri Iesu Christi. Qui rursus bonis pastoribus pollicetur, dicens: Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam. Habet horribilem aspectum, cum dicit: Advenies autem dies Domini ut fur, in qua cali magno impetu transierit, elementa vero calore solventur. Cum hæc igitur omnia conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cali ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent? Habet staturam, cum per Paulum nos ad terrenis desiderijs erigit, dicens: Mortificate membra vestra que sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, que est idolorum servitium. Habet altitudinem, cum promittit, dicens: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparbitis cum ipso in gloria. Habet horribilem aspectum, cum minatur, dicens: In revelatione Domini nostri Iesu Christi de celo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi: qui penas dabunt in interitum æternas a facie Domini, & à gloria virtutis ejus. Habet staturam, cum nos admonet, dicens: Videte, ne quis alicui malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est, sectamini in invicem & in omnes. Habet altitudinem, cum promittit, dicens: Si commorimur, & convivemus: si sustinemus, & conregnabimus. Et rursum: Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis. Habet horribilem aspectum, cum minatur, dicens: Terribilis quidem expectatio iudicij, & ignis amulatio, qua consumptura est adversarios. Qui rursus ait: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Quæ omnia brevi quoque sententia stringit, dicens: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, que sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Lata quippe est charitas, quia & inimicorum dilectionem capit, & per eam charitatem qua nos Deus omnipotens latè diligit, etiam longanimiter portat. Hoc ergo nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis à creatore nostro conspicimus exhiberi. Latitudo itaque & longitudo ad staturam pertinent; quia per amorem mores dilatat, ut fraterna mala charitas longanimiter portet. Sublimitas autem est æternorum illa remuneratio præmiorum, de cuius immanentate dicitur: Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que preparavit Deus diligentiibus se. Habet ergo in sublimitate altitudinem, quia æterna sanctorum gaudia nulla nunc prevalent cogitatione penetrari. Profundum quoque est illa inestimabilis damnatio suppliciorum, quæ eos quos susceperit, in ima demergit. In quibus sacra eloquia horribilem aspectum habent, quia inestimabilem terrorem audientibus incutiunt, cum supplicia inferni loquuntur. Bene ergo dicitur: [Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus:] quia scriptura sacra in utroque Testamento & admonendo recta est, & promittendo alta, & minando terribilis. Hæc nos fratres charissimi, hodierna die largiente Domino dixisse sufficiat, ut ad differenda ea quæ subjuncta sunt, otio reparati redeamus, in auctore omnium Deo & Domino nostro Iesu Christo confidentes: qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VII.

Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsorum quatuor. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota juxta ea: & cum elevareretur animalia de terra, elevabantur simul & rota. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rota pariter levabantur, sequentes eum. Spiritus enim vita erat in rotis. Cum euntibus ibat, & cum stantibus stabant: & cum elevatis à terra pariter elevabatur & rota, sequentes ea; quia spiritus vite erat in rotis. Et similitudo super caput animalium firmamenti.